

242

240

246

236

251

231

291

191

341

141

Ende

Anfang

231

in ejus latere et hodie stat una spectabilis tumba, ingentis valoris, magna, de Jaspide pretioso lapide; hanc tumbam mensuravi propriis manibus et reperi eam habentem in longitudine XII palmas, vulgariter **Spannen**; in profundum VII; in latitudinem V; et plus quam unam in spissitudine, et est tota de integra petra. Sed et operculum aequalis longitudinis, latitudinis et spissitudinis habet, quod habet dorsum acutum, sicut opercula sepulchrorum solent esse communiter, (154 a) ejusdem lapidis et pretiositatis. Color illius lapidis praecipuus est viridis, tamen multos habet alios intermixtos colores et maculas, quod ad decorum politae rupis multum facit, sicut patet in marmore polito maculoso vel vario. Tot autem dicitur habere virtutes, quot habet maculas, est enim infinitis respersus maculis rubris aut roseis, ac si sanguine exiguis guttulis esset conspersus. Ejus virtus in his, qui caste gestant ipsum, fugat phantasmata, reprimit febres, hydropisin curat, parturientes juvat, inter pericula facilit hominem tutum, interiorum refrigerat ardorem, fluentem compescit sanguinem et sudorem luxuriosum cohibet et impedit conceptum, menstrua constringit et haemorrhoides si pulverizetur datus cum lacte, ulcera inveterata sanat, sordes oculorum purgat et visum acuit et confortat, maleficiis et incantationibus resistit, et efficacior est in argento quam auro. Nec invenitur, nisi in montibus Scythiae, ubi optimus est, in quibus rupes et petrae sunt illius lapidis. Sed ne tam pretiosus thesaurus sit sine custode et ejus copiositas eum vilem reddat, posuit Deus in circuitu montium istorum fortissimos ac vigilantissimos custodes, gryphones, dico saevissimas bestias, quae accedere volentibus volatu et cursu, rostri morsibus et unguium lacerationibus resistunt, nec potest quis locis illis approxinquare, nisi devictis gryphonibus, in quorum pugna agonizabat Jason pro vellere aureo et Hercules pro malis horti hesperidis aureis. Sunt enim saevissima animalia gryphones, hominibus et equis naturaliter inimica, habentia capita aquilarum, et reliqua corporis leonum et in aëre volant ut aquilae, in terra vero currunt ut leones, suntque tantae fortitudinis et roboris, quod armatum equo insidentem invadunt et cum equo tollunt, in altum ambos per aëra ducunt quo volunt, et sunt animalia immania, ultra omnem rabiem saevientia. In capite, rostro et alis figurant aquilas, et in anterioribus pedibus, in quibus habent longos un-

